



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Schefferi Argentoratensis De Re Vehiculari Veterum Libri Duo

Scheffer, Johannes

Francofurti, 1671

Cap. IV. De Vehiculis Patribus & Temone.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13156

Ceditur & tilia ante jugo levis. — —

Sicut autem ista omnia communiter fuere lignea, sic hæc ipsa ligna ferro passim munita, ne sub pondere, vel in viis à lapidibus saxisve facile attererentur. Respexit huc Cato, & ex eo Stolo apud Varronem lib. I. de Re Rustica, cap. 22. *Stolo inquit, proposita magnitudine fundi, de eo genere Cato scribit; Oli veti jugera CCXL. qui coleret, eum instruere ita oportere, ut faceret ex ære ahena, urceos, nassiter nam, item alia. Sic è ligno & ferro, ut plostra majora tria, &c.* Ad plaustra & id genus non requirit lignum modò, sed & ferrum, eo fine, quo prædixi, ut constabit ex sequentibus. Addebatur aliquando & corium maximè, si è viminibus aut tabellis aliis tenuibus craticulatum essent composita vehicula contextaque. Docet Pollux, quando ait lib. I. cap. 10. Τὸ ὑπεράνω τῆς τόνου περιφραγμα, ὁ σιὺς εἴωθε διαλαμβάνεσθαι, τὰ ῥήριον. Vertit Gualtherus: *Quodque super tonum circumseptum, quod & tarrium dictum, corio tegi solebat. Verùm ego malle: Quod verò supra tonum in ambitum est septum, & corio induci consuevit, tarrion appellatur.* De tarrion in sequentibus agemus, & id ostendemus fuisse, quod parietes vehiculi constituebat. Id hic annotamus, corio muniti consuevisse, planè illo modo, qui & hodie in vehiculis plerisque usitatus est. Atque ista quidem de materia vehiculorum.

Cap. IV.

De Vehiculorum Partibus & Temone;

Temo pro vehiculo integro. Unde dicatur. Vossius rejectus. Τυμὸς, Glossæ explicantur atque corriguntur. Plectrum. Phadri lectio defensa. Ἐνδρουον. Versio Hesiodi notata. Ἴσολοίς. Σταλάριον. Meursius notatus. Ἀκίμπρις. Στήριγμα quid fuerit. Hesychius expenditur. Στήμιον. Σταθμίον, furca quid. De Plutarchi loco conjectura. Τήριξ. Lipsii emendatio repudiata. Διργες. Hesychius & Phavorinus explicantur, cum Plutarcho. Ἀργόρυμον. Gualtherus notatur. Summus temo. Τετραγυμ & Οκτάγυμ & Ἀμπρον.

Veniamus ad vehiculorum partes. Prima & præcipua est temo. Quod enim in navi gubernaculum, id ipse in vehiculo. Unde sæpe temo Poëtis, quod gubernaculum est aliis, sicut dixi-

D 3,

mus

mus in libris de Militia & Re Navali. Quin imò ex hac caussa ponere pro integro vehiculo syeverunt. Juvenal. Sat. IV. vers. 126.

Regem aliquem capies, aut de temone Britanno

Excidet Arviragus. — — —

Lubinus: *De temone eo dicit, nam Britanni in praeliis curribus utebantur, ex quibus Regem victum deturbandum esse vaticinatur.* Est autem temo ita dictus à tenendo, si Varroni credimus. *Temo*, ait lib. VI. de L. L. *dictus à tenendo, is enim continet jugum.* Ita temo fuerit primum *tenimo*, dein contractè *temo*. Quomodo & in aliis syllaba illa media solet omitti, & e. g. ex *movimen*, fieri *momen*, ex *orimen*, *omen*. Magisqve istoc verisimile, quàm quod volebat Vossius, *sic dictum à τείνω, quia à jugo ἀποτείνεσθαι, id est, extenditur.* Certè non extenditur à jugo, sed vehiculo, ut docet Pollux, verbis, quæ mox subdo. Contra jugum tenet verissimè, ut, præter Varronem, ipsa res testatur. Græcis est ῥυμός. Philoxenus: *Temo, ἀρχὴν πυδαλίου. ῥυμός.* Glossæ veteres: *ῥυμός ἀμάξης, temo, plerum, armamentum.* Armamentum hic est instrumentum, quod significatione specialiori tribuitur temoni, credo, quod inter currus instrumenta esset primum ac præcipuum. At quid *plerum*? Silet Vulcanius, neqve alii nos docent. Quare dicam, quod sum pridem suspicatus, legi *plectrum* oportere. Plectrum idem est, ac *flectrum* à plectendo flectendoqve, de quo dixi ad Phædrum in editione secunda. Nam & ipse lib. V. c. 10.

Monstrabat vitulus, quo se pacto plecteret.

Quod sine caussa mutarunt. Itaq; & gubernaculis navigiorum tribui ostendimus in libris de Militia Navali. Jam cum non magis illa in navigiis, quàm hi in curribus flectendi vertendiq; instrumenta sint, quin eodem venire potuerint vocabulo, vix dubitabitur. Hesiodus vocavit ἔνδρυνον lib. II. Oper. & Dier. illo versu:

-- Ὀρπηκὰ βοῶν ἐπὶ νῶτον ἵκηται
ἔνδρυνον ἐλκόντων μεσάβω. --

Vertunt: *Stimulo boum terga attigeris quernum temonem trahentium.* Sed de querno nihil est hoc loco, si Tzetzi credimus, cujus ista verba: ἔνδρυνόν ἐστιν, ἡμῶν ἰσοβοεῦς, καὶ ῥυμός καλεῖται. Nudè simpliciterqve ait, significare temonem. Et Hesychius medium exponit:

ἔνδρυνον,

Ἐνδρῖον, καρδία δένδρου, καὶ τὸ μέσον. *Endrion, cor arboris, & medium.* Quo efficitur, ut temonem credam ita dictum, quod esset medius inter duos boves eqvosve, quasi diceres Latinè lignum medium, aut interius lignum. Cæterum ex Tzerze liquet, appellasse etiam ἰσοβόεια. Firmat idem Eustathius ad Iliad. Z. Σημείωσαι ὅς ἐστι ἀρμαλὸς μὲν ῥυμὸς λέγεται, ὡς τὸ ῥύω τὸ ἐλύω, ἕτω ὃ καὶ ἐπὶ ἀπλώης ἐπὶ ὃ ἀρότρῳ, ἰσοβοεὺς ὡς Ἡσίοδος, βαρβαρίζομεν ὡς νῦν ὡς πολλοῖς, οἱ φάσιν αὐτὸν σαβάριον, ὡς οἶον ἰσοβόειον. Ostendit sanè etiam Eustathius ῥυμὸν & ἰσοβόεια idem esse. Addit tamen, alterum de cæteris vehiculis magis, hoc verò de aratris usurpari. Etiam hoc observandum est, quod recentiores Græcos dicat appellasse barbære σαβάριον. Omiserunt enim indicare viri docti, quæ de barbaris Græcorum vocabulis Lexica composuere. Dicunt quidem: σταβάριον sive σαύαρρον, *seps, munimentum*: verum minus aptè, ut opinor. Nam Eustathius Odyss. E. Σταυροὶ, ὄρθα καὶ ἀπωξυμένα ξύλα, τὰ καὶ σαύαρα ὡς τοῖς μὴ λαλῶσιν ἐυγενῶς. *Stauri recta & levigata ligna, quæ & stavara dicuntur iis, qui minus bene loquuntur.* Non sepimentum aut munimentum integrum σαύαρρον aut σαβάριον, sed singula illius ligna, singuli valli, qui etiam extra munitionem, ut erant stipites recti, σαβάρια nominabantur. Deniq; σαβάριον aut σαύαρρον nil aliud, quam quod hodieq; *Stab* Germanis, Svecis staf est, rectèq; Eustathio dicuntur βαρβαρίζον, sive loqui barbære, qui voce illa utuntur. Qui proinde ita formatam, velut ἰσοβόειον tradere non debuit. Et quia temo lignum rectum, utiq; sic ipse quoq; σαβάριον. Describit sanè ad hunc modum Hesychius, ut deinceps apparebit. Achæus Poëta vetus, & qui vixit Miltiadis temporibus apud Græcos, appellavit ἀκλήρια. Pollux lib. X. cap. 34. καλεῖ ἕτω (ἀκλήρια) καὶ τὸν ῥυμὸν τὸ ἀρμαλὸς, τὸ τῆς ἀμάξης ἀνέχον ξύλον, ὅταν ἀζευκίῃ ἢ, ὃ σήριγμα καλεῖ Λυσίας. *Eodem quoque nomine (acteria) currus temonem appellat, prominens scilicet illud lignum, cum jugatus non est, quod Lysias sterigma appellat.* Dicit Pollux, Lysiam vocare σήριγμα. Nempe alias τὸ σήριγμα est pars temonis, sicut statim indicabo. De cætero bene describit, lignum prominens à curru. Sic enim & alio loco: τὸ ἀποσεινόμενον δὲ τὸ τῆς ἀμάξης ξύλον, ῥυμὸς. *Lignum ab ipsa currus sella extensum, temo.* Hesychius hoc modo habet: ῥυμὸς τὸ ἀρμαλὸς τὸ ἐκτεταμένον ξύλον ὡς τὸ ἰσοβόειον.

πρὸς τὸ ζυγὸν μέσον ἀπὸ τῆς ἄξονος, ὅτινες σήμονα καὶ σταθμίον καλεῖται. *Rhymos*
vehiculi extensum est lignum per equos usq; ad jugum medium ab axe,
quod aliqui stemona & stathmion appellant. Cum Hesychio facit Pha-
 vorinus, qui appellat τὸ μέλαξὺ καὶ μήνη ξύλον τῆς ἀρμαλῆς, ἢ γὰρ τὸ προσηρημέ-
 νον τὸ ζυγὸν ὄρθρον ξύλον. *Lignum in vehiculi medio secundum longitudi-*
nem, prominens ve ad jugum lignum rectum. Item: Τὸ μέσον τῶν ἵππων
 ξύλον, ὃ συνδέεται ὁ ζυγός. *Medium inter equos lignum, cui jugum alliga-*
tur. Quando vocat ξύλον μέσον, sive lignum medium, firmat id, quod
 de endrio superius divinabamus. Juvat quoq; Scholiastes vetus Ho-
 meri, quando sic II. π. exponit: Ὁ προσηρημένον τὸ ζυγὸν καὶ τὸν εἰς ὄξυ λήγον.
 Τὸ μέσον ξύλον. Cæterum Hesychius dicebat, etiam σήμονα & σταθμίον
 aliquibus vocari, quod ignoro, utrum ad temonem integrum perti-
 neat. Σταθμίον sanè alias σταθμός, id est statera, vel libra. Hoc verò li-
 gno illi recto, de quo hactenus locuti sumus, parum convenit. Qua-
 re mallet ego capere de quadam ejus parte, sive ligno alio trans-
 verso, in temone firmari solito prope capsam, ad quod religantur
 funes, provenientes à jugo. Sanè lignum illud hodieq; Germanis
 meis *die Waag* / id est, *libra* dicitur. Et in flectendo vehiculo huc il-
 lucq; libræ instar movetur. Quare temo σταθμίον vocatus ab hac
 parte ipsius videtur. Eadem fortassis σήμων est, quia cum procurren-
 tibus funibus, quibus religantur equi, habet instar staminis, quod
 alias est σήμων. Sicut autem temo dictus σήμων sive σταθμίον, cum hoc
 potius pars ejus quædam esset, ita quoq; στήριγμα vocatus est, cum
 στήριγμα propriè partem ejus fignet. Nam est στήριγμα in temone,
 quod Latini nominarunt *furcam*. Plutarchus in Coriolano: ὅσοι
 Ἕλληνες ἀποστάτην & στήριγμα, τὸ τὸ Ῥωμαῖοι φέρειαν ὀνομάζουσι. *Quod Greci hy-*
postaten & sterigma, id Romani furcam appellant. Idem planè furca &
 στήριγμα. Porro furca lignum bifidum, ut idem docet in *Quæstioni-*
bus Romanis, ubi vocat διπλὸν ξύλον, ὅτι αἱ ἀμάξαις ὑφίστασιν, *lignum du-*
plex, quod curribus subjici solet, subditq;: Τὸ δὲ ξύλον ἡμεῖς μὲν στήριγμα,
 Ῥωμαῖοι δὲ φέρειαν ὀνομάζουσι. *Lignum illud nos quidem steringem, Romani*
verò furcam appellant. Quod Plutarchus ait de curribus, valde ob-
 scurum est, & nescio, an integrum. Quomodo enim lignum potest
 intelligi currui subjectum? An scribendum: Ὁ τοῖς ἀξοσι ὑφίστασιν?
 id

id est, *lignum, quod axibus (rotarum) subjiciunt.* Certè furca illud bifidum est lignum, quod priorem axem tenet, atq; huc & illuc flectit in itinere simul cum temone. Solent enim hodieq; temoni utrinque adungi ligna, quæ ab una parte coeunt, ab altera distant maximè, litteræ V figura, quandoq; temo ipse ab una parte furcæ specie dividitur. Illa sic divisæ ligna, temonive divisim ad sociata Latinorum furca, Græcorum *στήριγμα*, ut vocant alii, ut Plutarchus, *στήριγξ*. Ista specie.



Στήριγξ appellat etiam Hesychius, ubi sic describit: *Στήριγξ, ἐρεϊσμαία· οἱ δὲ τὸ δῆριον, ὅπερ ὑποδιδάσκει τῆς ἀμάξης ζυγῶ.* *Steringes sunt fulcra.* *Quidam sic appellant illud bifidum, quod subdi solet jugo vehiculi.* Dubitat hic Lipsius, an vox *ζυγῶ* se bene habeat, putatq; potius *ρυμῶ* legendum. Ego nihil muto, plane enim per τὸ δῆριον intellexisse integrum temonem arbitror, qui subdi jugo, & ad id loro alligari consuevit, ut mox ostendemus. Vocat autem *δῆριον* Hesychius temonem, quoniam in furcam desinebat, non quod furca ipsa subdita fuit jugo. Furca enim pertinebat ad axem, non ad jugum. Nam quod Plutarchus ait, furcam illam sustentasse temonem, aliud est. Verba ejus sunt ista, in Coriolano: *Ἦν δὲ μεγάλη κόλασις οἰκέτε πλημμελήσαντος, εἰ ζύλον ἀμάξης, ὃ τὸν ῥυμὸν ὑπερείδουσιν, ἀράμενος, διεξέλθοι ἄλλο πῶς χειτρίαν· ὁ γὰρ τὸ παθὼν καὶ ὀφθεῖς ἄλλο τῶν συνείκων καὶ γειτόνων, ἐκείνῳ πίστιν εἶχεν· ἐκαλεῖτο δὲ Φερκίφις.* *Habebatur autem punitio servi, qui peccaverat, acerba, si lignum plaustri, quo sustentant temonem, circa viciniam portaret: ita enim punitum quum domestici & vicini vidissent, nullam habebant deinceps ei fidem, appellabantque eum furciferum.* Ex eo, quod furciferum appellatum ait, manifestum, non de ligno alio sermonem esse, E
quam

E

quam

quam quod furca est Latinis. Hoc dicit sustentasse temonem, quia tenebat eum rectum inter equos, prolapsurum alias in terram, sicut hodieque fieri in vehiculis videmus. Nempe in extremo furcæ, ubi ligna duo maximè distant, addi lignum aliud transversum solet, quod subjectum medio arbore, axem posteriorem priori adjungenti, tenet furcam, & cum ea temonem, ne possint procidere. Atque istoc quidem voluit Plutarchus illis verbis. At in prioribus non tam de furca propriè sic appellata, quam temone, cujus capiti jugum alligari consuevit, sermo erat. Nam furca propriè sic dicta tenebat regebatque axem, eumque huc ac illuc flectebat, sicut dixi. Eratque hic præcipuus furcæ usus in vehiculo. Sicut autem temonis pars extrema una dicebatur *σπίριγμα* Græcis, ita altera extrema *ἀκρορρύμιον*. Pollux lib. I. cap. 10. *Τὸ ἀπόδεινόμενον ἀπὸ τῆς δίφρου ξύλον, ῥυμός. Οὗ τὸ τέλος ἀκρορρύμιον, ὑπερθεὺς ἐκδέσεται τῶν ζυγῶν.* *Lignum ab ipsa currus sella extensum, temo, cujus ultima extremitas, acrotemo dicta supernè jugo alligatur.* Non est *ἀκρορρύμιον* pars alia, quam dicta, quod apparet, quia jugum sibi habet alligatum. Gualtherus voce hybrida *acrotemonem* reddidit. Sed rectius, ad expressionem dictionis Græcæ, *summum temonem* appellasset. Ita namque Curtius vocavit lib. IV. cap. 9. Verba ista sunt: *Ex summo temone hasta præfixa ferro eminebant.* Summus temo plane illud ipsum, quod Gualthero *acrotemo*; Græcis *ἀκρορρύμιον*. Observandum autem, priscis temporibus tot fere temones fuisse singulis in vehiculis, quot habebant paria equorum bovmve. Unde de quadrigis Isidorus: *Quadrigarum currus duplici temone olim erat.* Et apud Xenophontem, lib. V. *Prædiæ*, currus Abradatis est *τετραρρύμιος ἑξήππων ὀκτώ.* Id est: *Temonibus quatuor, equos vero octo.* Quemadmodum paulò post eodem loco currus Cyri *ὀκτάρρυμος*, id est, *cum temonibus octo*, qui trahabatur *ὀκτὼ ζεύγεσι βοῶν.* Id est, *octo jugis sive paribus bovm.* Quamquam hi temones non spectarint omnes pariter ad vehiculum. Id enim habebat unicum tantummodo, firmatum ad axem; reliqui adjuncti erant, quilibet ad alterius caput, quod in sequentibus monstrabitur. Illud etiam notandum, quod pro hisce ligneis temonibus quandoque usurparint funem longum. Hesychius: *Ἄμπρον, τὸ τεταμένον σχοινίον, ᾧ ἐχρῶντο ἀντὶ*

ἀντὶ ῥυμῆ. *Amprum, funis extensus, quo utuntur loco temonis.* Docet clarè id, quod dixi, simul funem eum ἀμπρον esse nominatum. Eustathius: Ἀμπρον σχοινίον, ὃ ἐχρῶντο ἀντὶ ῥυμῆ μέσω τεταμένῳ τῶν ἐλκόντων ζευγῶν. *Amprum, funis, quo utuntur pro temone, collocato in medio inter trahentes jugales.* Scilicet, cum onera essent graviora, quam ut à duobus animalibus ad jugum temonemq; unum junctis possent moveri, à capite temonis addebatur funis longus, & ad eum tot jugales, quot videbantur sufficere, quod & hodie quandoq; solet fieri. Et hic funis, quem appellant ἀμπρον. Suidas: Ἀμπρον σχοινίον ὅπερ διὰ τῶν ζυγῶν διατείνουσι ἔφορτία ἐφ' ἀμάξης κομίζουσιν, ὡς εὐμοτότως ἀπὸ τῶν ζευγῶν ἐλκεῖσθαι ἀμπερόν τι ὄν, τὸ διὰ περὶ τῶν ζυγῶν δεδεμένον. *Amprum, funis per jugaprotentus, quo onera in plastro ducunt ita, ut equaliter à jugalibus trahantur, cum sit quid continuum, jugumque tenens religatum.*

Cap. V.

De Axe,

Axis. Ἄξων quid. Notat interdum totum vehiculum. In plastris volebatur cum rotis. Ἀκροζώνια. Ἀκραζόνια. Pollux & Demetrius Triclinius emendati. Χνόαι. Σύριγγες. Ἐυρά. Pollux explicatus. Παραζώνια. Gualtherus notatus. Clavius. Obex. Ἐπίβολον. Ἐμβολον. *Materia ejus ex ligno & ferro. Semelex cera. Axedo.* Ἀμαξιδόνιον. Ἐνύλαα. Argolus reprehenditur. Πλήμνη. Ἐμβολοδέτης. Gualtherus denuò notatur. Ἀμαξήποδες. Arbuscula. Baldus notatur. Hesychius corrigitur. Καθαράια. *Axis secundus.*

VEniamus nunc ad axem. Ita verò nominabant stipitem longum, circa quem vertuntur rotæ. Festus: *Axis plures habet significationes. Nam & pars cæli septentrionalis, & stipes teres, circa quem rota vertitur, axis appellatur.* Græcis voce simili est ἄξων. Philoxenus: *Axis, ἄξων.* Glossæ alia: Ἄξων, axis. Scholiastes vetus Homeri scribit esse ὁ εἰς τὰς χοιμῆδας ἐμβαλλόμενον ἐκάλειν τροχῆ, id est, *illud, quod modiolis rota utriusque inseritur.* Fuit ergo pars vehiculi admodum necessaria propter rotas, quæ absq; illa inutiles plane atq; nullæ. Hinc Poëtis fere posita pro integro vehiculo. Notum illud Juvenalis Sat. III.

*Nam si procubuit, qui saxa Ligustica portat
Axis, & eversum fudit super agmina montem.*

E 2

Ita